

quia declinavit dies et facte sunt longiores umbrae respici. Sed pro certo deus pro volens istum regem id est hominem a peccato saluare. fecit solem id est filium suum benedictum ab excoelencia sue deitatis quodammodo retrocedere et per summam humilitatem transactis novem gradibus id est novem angelorum ordinibus ad decimum gradum id est ad humanam naturam que etiam in dragma decima figuratur per incarnationem descendere et venire. *Eccl. xlviii.* Retro rediit sol: et addidit vitam regi. Sic ergo factum est quod umbra peccati in horologio vite humane similiter retrocessit. et vita et sanitas gratie ipsi regi. homini applicuit et accessit. Quia pro certo homo tunc temporis est factus natus cum sol iusticie christus ad gradum decimum est reversus. et per beatam incarnationem in hominem est conversus. *Ps. Converte domine usque quo.* *Gen. xix.* Sol egressus est super terram: et locus egressus est segor. Vel dic moraliter quod horologium quod fluit est voluntas: sol vero qui illuminat est gratia: quia vere tunc rex iste id est homo infirmus et languidus per peccatum sanat. quoniam sol divine gratie per decem gradus. id est per adimpletionem decem mandatorum ad ipsum reuertitur. et quoniam umbra ignorantie vel peccati in horologio cordis sui minuitur et auferitur. umbra enim peccati diminutio et solis seu gratie illuminationis et decem graduum. id est mandatorum impletio nichil aliud est quam regis anime. affectus curam et saluacionem. *ps.*

²⁷²
 Domine saluum fac regem. **Explicit** moralizatio super psalmum. **Incipit** moralizatio super Iheremiam prophetam

Iheremie preceptum fuit quod lumbare suum acciperet et in eufrate absconderet infra petram. Qui pro multitudine temporis ad eufratem rediit et lumbare putrefactum inuenit ita quod nulli usus aptum esset. Dixit autem sibi dominus quod lumbare domus israel erat quod sibi diu adhaererat. quam cum vicibus putrefactam intendebat percipere et de terra propria captiuare. Illud allega quod nullus est ita adherens deo per caritatem et scitatem si in eufrate quod intenditur frugifer. id est fructibus diuiciatum et in aquis deliciarum mergatur qui per vicia putrefiat ita quod ab heresione quam habebat deo proorsus cadat. *Pla. xiiij.* Quasi cadaver putridum non habebis consortium.

Illud quod super *ca. xviiij.* dicitur de figulo qui sedes super rotam faciebat vas quod cum dissipatum fuisset de eodem luto fecit aliud vas put placuit sibi. Cui quidem figulo assimilatur deus qui filios israel quos destruebat et quos finaliter reedificare et construere itaque intendebat propter ad occultam dei predestinationem adducere que scilicet alios edificat saluat et plantat. alios destruit et dampnat: et quando illum quem ante destrui per peccatum permisit. itaque per penitentiam repat et reformatur. quod etiam temporaliter quoniam facit. quod illum aquam itaque ad prosperitatem resuat et restaurat.